

hæc corpora facere antequam essent, potest ea in momento restituere sicut erant. Omnes autem fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam : ut sicut aequales Angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit (*Luc. xx, 36*) ; et laudent eum sine aliquo defectu et sine aliquo fastidio, semper viventes in illo et de illo, cum tali gaudio et beatitudine, quali nec dici¹ nec cogitari ab homine potest.

55. Tu itaque credens ista, cave tentationes (quia diabolus querit qui secum pereant) : ut non solum per eos qui extra Ecclesiam sunt, sive Pagani, sive Iudei, sive haeretici, non te hostis ille seducat ; sed etiam quos in ipsa Ecclesia catholica videris male viventes, aut immoderatos² voluptatibus ventris et gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, sive spectacularorum, sive remediorum³ aut divinationum diabolicarum, sive in pœnpa et typho avaritiae atque superbiae, sive in aliqua vita quam lex⁴ damnat et punit, non eos imiteris : sed potius conjungaris bonis, quos inventurus es facile, si et tu talis fueris ; ut simul colatis et diligatis Deum gratis : quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa vita⁵ bonitate ejus et pulchritudine perfrauamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis ; sed sicut amatur sapientia, et veritas, et sanctitas, et

¹ Sic MSS. At editi, *qualis nec dici*.

² MSS., *immoderatis* : fortasse pro, *in immoderatis*.

³ Editi, sive remediorum sacrilegorum. Abest, *sacrilegorum*, a MSS., ut illa quæ post adhibetur, vox, *diabolicarum*, et ad *divinationum* referatur, et ad *remediorum*.

⁴ Corbeiensis Ms., *lex Dei* : sed additum, *Dei*, a secunda manu.

⁵ Editi, *in illa æterna vita*. Abest, *æterna*, a MSS.


justitia, et charitas¹, et si quid aliud tale dicitur : non quemadmodum sunt ista in hominibus ; sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et incommutabilis sapientiae. Quoscumque ergo videris hæc amare, illis conjugere, ut per Christum qui homo factus est, ut esset Mediator Dei et hominum, reconcilieris Deo. Homines autem perversos, etiamsi intrent parietes ecclesiæ, non eos arbitrari intraturos in regnum cœlorum ; quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commulaverint. Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama ; quoniam nescis quid eras futurus sit qui hodie malus est. Nec eorum ames injustiam ; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam : quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth. xxii, 37-40*). Quam non implet nisi qui donum² acceperit Spiritum sanctum, Patri et Filio utique aequalis ; quia ipsa Trinitas Deus est : in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda, qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille a quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et dolorum et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitæ æternæ, et permanens toleraverit, major ei merces dabitur : quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiae cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere (*I Cor. x, 15*).

¹ MSS. omittunt, *et sanctitas, et justitia, et charitas*.

² Sola editio Lov. pro, *donum*, habet, *Dominum*.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.



Librum de Continentia suum ipse agnoscit Augustinus in Epistola 262, ad Darium comitem. Ejusdem operis meminit Possidius in Indiculo, cap. 10, et nonnulla ex eodem libro excerpta in suis collectaneis profert Beda seu Florus, et qui ab Augustini tempore proprius distat Eugypius. Hinc censura refellitur Desiderii Erasmi, quam in fronte Libri præfixit, videri sibi esse Hugonis, et phrasim arguere quod non sit Augustini. Stilus et dictio, nostro quidem judicio, similis omnino est multorum Augustini Sermonum, eorum præsertim quos primis annis dixit sive dictavit. Hunc vero librum Sermonem quemdam esse, quem idcirco in librorum suorum Retractionibus præteriit, ipso satis exordio declaratur. Sic vero appellant veteres libri, neconon Possidius, Eugypius et Florus. Commode etiam in priores annos ipsius revocari nemo negaverit ; quandoquidem et longior Sermo est, et magnam partem contra Manichæos, quorum hæresim Augustinus maxime initio suæ conversionis insectari solebat.

